



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Gasparis Barzaei Belgae E Societate Iesv: B. Xaverii  
In India Socij**

**Trigault, Nicolas**

**Coloniae, 1611**

VI. Gaspar totius Indiae Præpositus Prouincialis creatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45183**

## CAPVT VI.

*Gaspar totius Indiae Praepositus Pro-  
uincialis creatur.*

**V**BI auditum est à nostris, Xa-  
uerium adesse, tantoperè est  
exultatum, vix vt eos Rector  
domesticis spatijs contineret, quin  
omnes sese in portum effunderent.  
Non minor erat suos videndi in Xa-  
uerio cupiditas: sed tamen, vt erat  
omnium Religiosorum ordinum  
obseruantissimus iuxtà & amicissi-  
mus, singulos antè salutauit, quàm  
in Collegium veniret: quò vbi ad-  
uenit, salutatis amicissimè obuijs, ad  
valetudinarium Collegij rectà se  
confert, quod erat ei consuetum, &  
ibi salutatum ægrum pænè expirā-  
tem vitæ salutique breui restituit.  
Magna ergo vel eius aduentu, vel  
Iaponica messe, quã ipse referebat,  
omnes, sed maximè Gaspar lætitia  
exultabat; quippè cùm iam B. Xa-  
uerium adhuc in sententia perma-  
nentem, ac se ad Chinensem secum  
expeditionem socium delectum co-  
gno-

*B. Xaue-  
rius æ-  
grū visit  
& sanat.*

gnouisset, tuta sua omnia arbitra-  
 batur. B. verò Xauerius mirum quo-  
 que in modum de tali socio gaude-  
 bat. Nam cùm audijisset ac etiam vi-  
 disse, quanta per eum Deus perficeret, tantus factus est eius admira-  
 tor, vt continere se non posset, quin,  
 vir alioqui in laudando moderatus,  
 continuus propè, quoties aberat,  
 eius esset prædicator. Sed non diu-  
 turnum vtriusque fuit gaudium: nã  
 breui Xauerius, audito Episcopo ac  
 Prorege Gasparis studiosissimis, ac  
 ceteris Patribus; sed & à primarijs  
 quibusque sollicitatus, breui mu-  
 tauit sententiam. Adiuuit eam sem-  
 alterius, cui prouinciam crederet  
 vniuersam, ferè penuria. Itaque in  
 Gasparem oculi coniecti, & iam o-  
 mnia metuentem inuaserat suspi-  
 cio. Franciscus rariùs de China cum  
 Gaspare, de India sæpius, de penuria  
 eius quem sibi substitueret, agebat:  
 porrò iam semel intentatum Goa-  
 næ prouinciæ munus, non aliter  
 quàm fulgur horrebat. Ergò pre-  
 cibus apud Deum agere cœpit  
 impen-

impensius, ne se tanto bono priuaret, ne se tantis malis oneraret: sed nimirum petebat, quod non erat impetraturus, nisi quòd ideò, quia velut Dei maius obsequium petebat, id sanè quod petebat, impetrabat, Deo, vt ait B. Augustinus, cardines desideriorum eius exaudiente.

Quo tempore substitit ibi Xauerius, (substitit autè duos ferè menses ac dimidiatum) multa salutariter constituta, multa pietatis exercitia vel reuocata vel frequentata, non foris minùs, quàm domi: sed tamè postremis diebus lōgè magis. Quotidianæ erant propè sub noctè de rebus diuinis vel colloctiones, vel cohortationes, quas inter suspensum semper Gasparem ad se quodā die vocat, ac timidè primùm multa præfatus (sciebat enim quam hoc illi triste ad aures accideret, quamque intolerabile onus esset arbitraturus) affirmat primùm, se ex ipsa Iaponia eo animo venisse, vt sociū eum & Chinensis expeditionis comitem ascisceret; sed sibi planè videri,

deri, Indiam repugnare vniuersam:  
Proregem, Episcopum, Patres om-  
nes, summos & infimos omnis notæ  
apud se deprecatores fuisse, ne Goa,  
vbi tantum Deus eius operâ fructū  
faceret, auocaretur. Itaque videri  
sibi, eam diuinam esse voluntatem,  
quæ tanto hominum concursu, tan-  
ta hominum approbatione signifi-  
cet, sibi gratius esse in India Gaspa-  
rem commorari: quare hoc vrbis  
fauore feliciter ad Dei gloriam, a-  
nimorum salutem, Societatis existi-  
mationem vteretur; quod vt melius  
faciat, nemine ipsius conatus retar-  
dante, iam sibi certum esse, totius  
illi Indiæ curam ac suas vices de-  
mandare. Ad alia omnia dudum ex-  
palluerat Gaspar; sed ad postremū  
illud obstupuit: & diu cum non pos-  
set loqui, silētio suo & vultu magis  
quàm linguâ loquebatur. Demum  
tamen ita respondit, se casum hunc  
à suis sceleribus exspectasse, quæ  
plus omninò potuerint, quam tot  
desideria, & tam frequens diuinæ  
voluntatis significatio; quæ cū nō  
emen-

emendarit, dignum se omninò hæc  
pœna cognoscere: & cùm iam satis  
nòrit rem esse desperatam, ac nullis  
precibus locum, eam rem pro suo-  
rum criminum maximâ, in hoc qui-  
dem orbe, pœnâ acceptare. Sed ta-  
men alterum, de ceterorum cura,  
tanquam nimis atrocem omninò  
pœnam, & viribus suis imparem om-  
ninò, per quicquid est vel in ter-  
râ vel in cœlo sacrum, lacrymis, &  
quolibet animi conatu supplicem  
deprecari, se nihilo meliorem,  
quàm cùm ante triennium virium  
illi suarum infirmitatem feliciter  
ac verè probasset. Supplicem Xau-  
rius erigens omninò iuber acquies-  
cere, si quidem vellet obedire, mē-  
tem omninò suam esse, à qua nul-  
lis precibus deduceretur, ita sibi di-  
uinam in hoc negotio constare vo-  
luntatem. Ceterùm bono animo  
esse iussum spe ac promissis replet;  
scripsisse se in Europam, vt inde a-  
lium aliquem huic muneri parem  
accipiat: qui vbi venerit, munus  
illi traditurum, & in Chinam, seda-  
to ran-

to tantisper illo vr̄bis feruore, venturum; atque ita hominem à se re iā desperata silentio acquiescentem dimisit.

Conceptum animo dolorem non tenuit Gaspar, sed prodente vultu facile suspicati sunt, generosum illum animum spe sua excidisse. Sed de officio tamen nullus sermo. Paucis inde diebus cum Xauerio frequens Gaspar monita quā scriptis mandata, quā ex ore monentis hauriebat. Porro vbi aduenit discedendi tempus, pridie quā abiit, sub noctem omnes à Xauerio conuocatis; tibi de multis rebus, sed de obedientia potissimum admirabilis habitata cohortatio. Demum suspensis omnibus quem sibi substitueret, Gasparem nominavit: quem non huius modò Collegij Rectorem, sed omnium omninò qui tota India vagabantur, & his finibus, Bonæ spei promontorio & Iaponia cludebantur, Præpositum Prouincialem renuntiavit: huic insuper omnes omninò facultates sua tradidit, sicut

sicut eas ipse à B.P. Ignatio acceperat: se quoque ipsum eius obedientiae & imperio subijcere, ad eius pedes accidens, est sollemniter protestatus, non obedientiae magis praedicator, quam executor. Idem deinde ceteri, Gaspare singulos amplectente, praestiterunt. Lacrymabantur omnes illi praegaudio, quod Gaspari laetantibus omnibus fors obtigisset; Gaspar verò ex intimo dolentis animi sensu: quippè videbatur sibi Aetnam humeris suscepisse. Quibus ita confectis, postridiè B. Xaverius Aprilis 15. qui dies in feriam quintam maioris hebdomadae incidebat, comitibus aliquot vel in Iaponiam vel in Chinam stipatus, ad mare contendit, postquam recondito, ex Ecclesiae more, in Sacratio V. Sacramento, diuina illius diei officia peregissent. Ex ijs qui Xaverium comitabantur, fuit Gagus, è duobus, qui Gasparis erant comites futuri, reliquus, Didacum enim Caruallum tabes consumpserat. Qui verò in tam sanctam & gloriosam expeditionem

nem



nem electi sunt, tantum ipsi sibi sunt gratulati, quantum reliqui sacra æmulatione inuiderunt: quippè quo tempore ibi Xauerius substitit, ubi auditum est comites in Chinam, operarios in Iaponiam desiderari, quisque pro se non tam Xauerium, quàm ipsum Deum sollicitabat, à quo motum aquæ non ipsi minùs, quàm Xauerius exspectarent. Qui porrò ad sarcinas remanserunt, solo se desiderio solantes, in templo pro B. Xauerij salute, & euentu tantæ rei supplicabant; nonnulli etiã ad mare vsque comitati, omnes sua vota eodem, quò corpora non poterant, transmiserunt.

## CAPVT VII.

*Qualis erga se fuerit in eo munere constitutus.*

**N**E in eorum, quæ breui tempore in eo munere infinita Gaspar gessit, commemoratione fluctuemus, & in tanta rerum multitudine sine ordine diuagemur, eum ordinem mihi proposui ferè